

## Band II., Nr. 373, Seite 131-132

*Bischof Hermann von Konstanz verleiht dem Propst [Konrad] zu Denkendorf die Befugnis, die priesterlichen Rechte samt der Seelsorge an der Ortskirche in Denkendorf in Person oder durch seine Brüder auszuüben.*

Konstanz, 1160. Juni 7.

In nomine sanctę et individue trinitatis. Heremannus, superna dispositione Constantiensis humilis minister. Dum ecclesiasticę utilitati consulere intendimus et bona non tantum coram deo, set etiam coram omnibus hominibus providere curamus, nulli incongruum videatur, si quid a nobis pia intencione conceditur, quod canonicę institutioni obviare non invenitur. Noverit itaque universitas Christi fidelium tam futurorum quam presentium, quod frater noster. C.<sup>1</sup>, prepositus de Deinkendorf, qui a domino patriarcha Ierosolimitano in prioratum illum est huc transmissus, et nobis tam literis eiusdem patriarchę quam domini imperatoris et Moguntini archiepiscopi commendatus, prefatam ecclesiam quietam possessione retinet, cuius etiam investitura ad ipsum et ad successores suos prelatos spectat, quę dum spiritali pastore orbata vacaret, utilitati simul et honestati loci sibi crediti in futurum prospiciens, et adversa precavens, elegit potius per se et posteros suę dignitatis curam illam administrari quam aliunde personam, vel incognitam vel minus idoneam, advocari, perpendens quod ex diversa professione in una ecclesia facile emergeret occasio scissurę et litigii. Postulabat itaque satis humiliter et devote, curam illam animarum in Denkendorf suę suorumque successorum prelatorum sollicitudini commendari, debitas obedientias offerens, et spondens et fideliter promittens, se omnibus nostris mandatis iustis et canonicis successorumque nostrorum episcoporum obtemperaturum et sanctas ecclesię nostrę consuetudines servaturum. Nos vero, quoniam religiosos viros et honestos diligere, et desiderium pauperum Christi semper solemus exaudire, canonica auctoritate preposito in Denkendorf suisque successoribus hanc in omnipotentis dei nomine potestatem tribuimus, ut per se suosque fratres populi curam in rebus divinis peragat, et quidquid hactenus ad ius, prespiteri illic ministrantis pertinere videbatur cum animarum cura in suos suorumque fratrum usus cedat. Et ut rattum id atque inconvulsum sibi suisque

---

<sup>1</sup>Der Name des Propstes ist Conrad, vgl. JOHANN CHRISTOPH SCHMIDLIN: Geschichte des Klosters Denkendorf mit 24 bisher nicht gedruckten Beylagen, Stuttgart 1781 (Beyträge zur Geschichte des Herzogthums Wirtenberg, 2), S. 21, und Stälin: Württembergische Geschichte, Bd. 2, S. 734.

## II

successoribus in perpetuum maneat, in Christi nomine statuimus et presentis privilegii nostri pagina communimus, et ne quis deinceps hoc infringere presumat, sub anathematis ulcione interdiciamus. Adhibitis testibus quorum nomina subter annotari precepimus. Sunt autem hii: Bertoldvs, maioris ecclesie prepositus. Adelbertvs, prepositus de Oningin. Fridericus, prepositus de Burron. Eberhardus, archipresbyter et alii quam plures.

Signum domini Heremanni (*Monogramm.*) Constantiensis episcopi.

Data Constantie, anno dominice incarnationis MCLX., VII. idus Iunii, indictione VIII., regnante domino Friderico, invictissimo Romanorum imperatore augusto, anno regni eius VIII., imperii vero quinto, presidente Constantiensi ecclesie domino Heremanno episcopo, anno pontificatus sui vicesimo I. In Christo feliciter. Amen. (*Siegel.*)

—

Der Textabdruck folgt dem Original.

Das Siegel war unten rechts aufgedrückt und ist verloren.

## Überlieferung und Publikationen

**Lagerort:**

HStA Stuttgart

**Signatur/Titel des Originals:**

A 480 U 62

**Literatur:**

Vgl. die den Probst Konrad betreffende Empfehlungsurkunde durch Friedrich I. an Bischof Hermann von Konstanz in MGH DD F I, Teil 4, S. 438, Nr. 1110. KASPAR ELM: St. Pelagius in Denkendorf. Die älteste deutsche Propstei des Kapitels vom Heiligen Grab in Geschichte und Geschichtsschreibung. In: Landesgeschichte und Geistesgeschichte. FS Otto Herding zum 65. Geburtstag, hrsg. von Kaspar Elm, Stuttgart 19, S. 109.

## Weitere Angaben

**Sprache:**

Lateinisch

**Ausstellungsort:**

Konstanz

**Ortsindex:**

Beuron Wohnplatz (21033)

Beuron, SIG

Denkendorf Wohnplatz (319)

Denkendorf, ES

Konstanz Wohnplatz (14442)

Konstanz, KN

Mainz, MZ

Öhningen Wohnplatz (14523)

Öhningen, KN